



# The Holy See

---

**PAULUS EPISCOPUS**

**SERVUS SERVORUM DEI**

**AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA ATAMBUENSIS**

**(KUPANGENSIS)\* NONNULLIS INSULIS A DIOECESI ATAMBUENSI DETRACTIS,**

**NOVA DIOECESIS CONDITUR, «KUPANGENSIS» APPELLANDA.** Sanctorum mater atque parens populorum Ecclesia divini Conditoris iussa «Euntes ergo in mundum universum, praedicate Evangelium omni creaturae» (Mc. 16, 15) ita efficere studet, ut nihil praetermittat quod aut christianam fidem in fidelium animis augere provideatur, aut sanctissimae religioni veri Numinis propagandae conferat, aut quovis modo censeatur sacrae Christi plebi prodesse; quae enim caelos novos et terras novas futura sperat, eadem Ecclesia non nisi per christianae veritatis splendorem et supernae gratiae fermentum id fieri posse credit. Quam ob rem, cum Sacrae Congregationi de Propaganda Fide visum esset novam in Indonesia dioecesim constituere, censuimus aequae fieri si in eam sententiam discederemus, atque idcirco, re bene reputata, consilioque petito tum a venerabili Fratre Salvatore Pappalardo, Archiepiscopo titulo Milesiensi atque in Indonesia Apostolico Pro-Nuntio, tum ab Ordinario cuius res interesset, haec statuimus. A dioecesi Atambuensi regiones separamus, quas vocant populari lingua Timor Tengah et Kupang, atque Insulas Semau, Roti et Sawu, iisque novam dioecesim condimus, nomine *Kupangensem*, quam statuimus metropolitanae Sedi Endehenae suffraganeam fore, atque Sacrae Congregationi Fidei Propagandae obnoxiam. Huius autem dioecesis caput, urbem vulgo Kupang habere censemus, templum cathedrale id quod est in eadem civitate praecipuum. Indulgemus etiam ut, si ad praesens Canonorum collegium condi nequeat, Consultores dioecesani eligantur, qui Episcopo assint consilio et opera. Cetera, quae scilicet ad mensam episcopalem spectant, ad Seminarium, ad Vicarii Capitularis electionem, Sede vacante, similia, omnino iure canonico regantur. Postremo, novam dioecesim dilectis filiis e Societate Verbi Divini concedimus regendam atque gubernandam, certa spe fore ut qui adhuc multo labore atque sudore eam Ecclesiae circumscriptionem exercuerunt, haud minore cura in posterum colant. Ceterum quae constituimus venerabilis Frater Salvator Pappalardo, cuius mentionem fecimus, ad exitum deducet, vel quem ille delegaverit. Re vero acta, documenta exarentur, eorumque sinceræ fidei exempla ad Sacram Congregationem Fidei Propagandae cito mittantur. Hanc vero Constitutionem nunc et in posterum efficacem esse et fore volumus; ita quidem ut quae per eam decreta sunt ab iis quorum res est religiose serventur, atque igitur vim suam obtineant. Cuius Constitutionis efficacitati nulla, cuiusvis generis, contraria praescripta officere poterunt, cum per eam iisdem derogemus omnibus. Nemini praeterea haec voluntatis Nostrae documenta vel scindere vel corrumpere liceat; quin immo huius Constitutionis exemplis et locis, sive typis impressis sive manu exaratis, quae sigillum viri praeferant in ecclesiastica dignitate constituti simulque ab aliquo publico tabellione sint subscripta, eadem omnino habenda erit fides, quae huic haberetur, si ostenderetur. *Datum Romae, apud S. Petrum, die tertio decimo mensis aprilis, anno Domini millesimo nongentesimo sexagesimo septimo, Pontificatus Nostri quarto.*

Pro S. R. E. Cancellarius

GREGORIUS Card. AGAGIANIAN

Franciscus Tinello

*Apostolicam Cancellariam* Regens Iosephus Rossi, Ep. tit. Palmyrenus, *Protonot. Apost.*

Eugenius Sevi, *Protonot.*

---

*Apost.*

\*A.A.S., vol. LIX (1967), n. 16, pp. 1030-1032 © Copyright 1967 - Libreria Editrice Vaticana

---

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana